

silia et conversationes ne spernatis, illud III^o Regum XII. praecaventis, quod de Roboam Salomonis filio legitur, qui, seniorum spreto, sed iuvenum consilio arrigens aures, quo populum amisit et regnum. Non taedeat vos habere consilia habere¹ in factis vestris, sed illud² sapientis³: 'Omnia fac cum consilio, et postea non paenitebis', et iterum⁴: 'qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia'. Haec consilia cum amicis tractanda sunt, quos in vestros consiliarios duxeritis specialiter eligendos, non cum levibus personis vel inexpertis, qui adulantur et locuntur vobis blanda et placentia⁵. Hi trahunt vos ad vana et ad ea aliquando, quae non expediunt, et tales non curant, quantum expendatis et consumatis quantumve detis vel unde vel qualiter exposita persolvantur. Item non sic innitamihi vestro sensui, ut non velitis audire consilia vestrorum specialium consiliariorum vobis fidelium, de quibus certi estis, quod non vellent consulere, nisi quod ad vestrum pertineret profectum et honorem, Salomone dicente⁶: 'Ne innitaris prudentiae tuae', hoc est peritinae tuae.

Attamen in publicis iusticiis propter delicta publica faciendis expedit quandoque, ut domini inexorabiles se ostendant, maxime dum salva iusticia et honore (f. 244^v) non licet facere quod rogatur. Nam quandoque rogant illi, qui non vellent, quod fieret hoc, quod rogant.

Item dum estis in comitatu populi, exhibeatis vos affabilem et benignum in salutationibus et loquelis vestris, cum moderamine tamen tali, ut secundum dictum Augustini coram subditis appareatis praelatus et sitis, coram deo humiliamini, quasi substratus eorum pedibus. Unde et Ecclesiasticus⁷: 'Quanto magnus es, in omnibus te humilia'. Hominibus quoque pauperibus vobis attinentibus in eorum necessitate conqueri volentibus audientiam non negetis, sed benivolentia vos eis exhibentes in paupere personam Christi comprehendatis, ut ipse docet in Matthaeo⁸ dicens: 'quod uni ex his facitis minimis, mihi facitis'.

Pro servicio vobis impenso vel pro re alia quantumque gratanter exhibita non negligatis hominibus grates reddere leto vultu, ut cognoscant et ex hoc intellegant vobis gratum quod fecerunt.

1) So wiederum Hs. 2) Etwa 'attendatis' zu ergänzen. 3) Eccli. 32, 24, nicht wörtlich zitiert. 4) Prov. 13, 10. 5) Is. 30, 10: 'loquimini nobis placentia'. 6) Prov. 3, 5. 7) 3, 20. 8) 25, 40, nicht genau wörtlich zitiert.